

noscit Quintilianus Instit. lib. 7. cap. 9. his verbis, *Cum pluribus rebus, aut etiam hominibus eadem appellatio est, ὁμορροπία dicitur*, exemplumque subjungit, *Ajax Telamonis, an Oilei filius*. In rebus ratio quæ est, vel Grammaticam spectat, vel Rhetoricam. Grammaticam spectat, quòd Adjectivum in neutrò sumatur vel Substantivè, vel Adjectivè, vel Adverbialiter: Verbum accipitur pro nomine vel verbò: & Participium Adjectivè vel Participialiter. Rhetoricam quæ spectat ratio est, Tropus, sub quò comprehenduntur, Metaphora Metonymia, Synecdoche, & Ironia, earumque variæ Species & Affectiones, quas qui latè explicatas cupit, adeat Rhetoricos, atque inter ipsos Coryphæum G. J. Vossium Instit. Orator. lib. 4. qui à capite quintò, usque ad finem libri luculentissimam eorum exhibet tractationem. In omni autem tropò esse ambiguitatem, ex cò manifestum est, quòd oratio tropicis vocabulis expressa duplicem habeat sensum: Veluti cum *Anima* ponitur pro homine, *puppis* pro nave, *author* pro opere, *pastor* pro ecclesiæ ministrò, &c. incertum namque est atque dubium, num in propriâ an translata significatione ista vocabula usurpentur. Idem judicium esto de Phrasibus, quæ idcirco huc referendæ veniunt; Nam *scrupulum injicere* vel propriè est, *lapillum jacere*, vel impropriè *difficultatem movere*: Atque hujus notæ etiam sunt, *atrò carbone notare*, *à limine salutare*, & id genus quamplurimæ. Denique nulli classi commodiùs, quàm huic, accenseri mihi posse videntur voces illæ, quæ Philosophis *Termini artis* audiunt, & aliud in communi loquendi usu, aliud in certis disciplinis denotant, & quandoque in diversis diversa: Sic *genus* aliud sonat vulgò, aliud Grammaticis, aliud Logicis: sic *Conversio* aliud significat apud plebem, aliud apud Logicos, aliud apud Theologos: sic *declinatio* aliud denotat in communi usu, aliud in Grammaticâ: *Ellipsis* aliud in Geometriâ, aliud in Grammaticâ exprimit: *Schema*, *Hyperbole*, & *Parabole*, aliud notant in Rhetoricâ, aliud in Geometriâ: *Radius* vulgò præter alia, & Opticis denotat splendorem è corpore luminosò emicantem; Geometris *Diametri dimidium*: & Anatomicis *minus brachii os*, quod majori inter carpum & mediam brachii curvaturam sito superincumbit.

20. Ad vocabulorum ambiguitatem, nostrò quidem arbitrato, etiam pertinent variæ eorum acceptiones; quamvis secùs sentiant alii: duplicem enim in oratione pariunt sensum, ob duplicem, quâ pollent, significationem. Vocantur autem *Acceptiones*, ut & *Suppositiones*, quia per eas id, quod vox denotat, supponitur & accipitur. Harum quamplures enumerantur. *Prima* est, quòd vox sumatur vel materialiter vel formaliter: *materialiter* quidem per se ipsâ, sive materiâ, literis nempe & syllabis, ex quibus constat: *formaliter* verò pro re, quam significat. Sic cum dicimus *mus* est monosyllabum, tertiæ declinationis, masculinigenis: *Bestia* est trisyllabum, primæ declinationis, fami-